

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius**

**Sánchez, Francisco  
Schoppe, Caspar  
Perizonius, Jacobus  
Franequera, 1687**

XVII. Charon

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

Fessino ad nostras, & regem transeo Ponti Ibi est, Pontus Euxinus: & ita Pontus accipitur pro mari, ex parte totum; ut *fretum* pro mari, quum sit *Fretum* propriè, quod Græci vocant *Portlmon*, à fervendo, quod ibi maxime fervet aqua: nos vocamus *Estrecho*. Denique passim Græcè legas, ποῖτος ἀλῆς, id est, *Pontus Maris*; & *Freta Ponti*, ut æquor maris.

## XVII. PELAGUS.

Solent etiam & Græci Grammatici, quamvis doctiores, ineptire; dicunt enim, πῆλαγος à πῆλας, id est, prope, & γῆς, id est, terra; quia non prope, sed longissime abest à terra. Sed *pelagus* propriè mare non significat, sed profunditatem maris; Hispanè, *Pielago*. In Evangelio D. Marthæi legitur, πῆλαγος τῆς θαλάσσης, id est, *Pelagus maris*, hoc est, in medio maris. \* Crederem dici *pelagus*, à πῆλας, prope; quia prope litus statim *pelagus* est, id est, profunditas maris.

## XVIII. CHARON.

Illius Gregorius Giraldu de diis gentium sic ait; *Charon deus infernus, dictus per Antiphrasin, quasi acheron: alias tamen etymolo-*

gias

\* Crederem dici *pelagus* &c.] Verisimilius fecere, qui ab Hebr. פֶּלַיִם *Ris* deduxere. Sicut & sequens vocabulum *Charontis* ab Aegyptiaca origine reperiverunt Eruditi, quæ portuorem significarit, probante Vossio, quem vide. Certe *χάρων* non à *κρηονία*, sed hoc ab illo derivatur: neque etiam à *κρηονία*, quo proprie *Letus habent oculos* noratur, cum nihil letum *Charontis* tribuatur ab ullis Scriptoribus.

gias Phormutus adducit, quas non satis probat. Hæc ille. Mihi placet Natalis de Comitibus in Mythol. *χάρων*, inquit, à *χαίρω*, id est, gaudeo, quia transitus Lesbei fluminis ad sedes beatorum maximo cum gaudio fiat. Sic ille. Invenio & *χάρων*, pro leone, *ἀπὸ τῆς χάροπος*, id est, ab splendore oculorum. Huc videtur Virgil. *Æneid. 6.* respexisse; *stant lumina flamma:* & Ovid. *Metamorph. Rubra suffusus lumina flamma.* Seneca in *Hercul. Fur. act. 3.* *Concava lucent gena:* sic enim legendum, non *squalent.* Dicuntur etiam *χαράνια*, hiatus terræ immensi; & *χάρματα*, ex Diogene Laërtio, & Josepho Scalig. in *Æthna*; unde non male possent deduci Charon.

## XX. HOLOSTEON.

**H**olosteon, inquit Plinius lib. 27. cap. 10. sine duritia herba, ex adverso appellata à Græcis, sicut fel dulce: tenuis usque in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum, ceu gramen, foliis angustis, astringens gustu, nascitur in collibus terrenis; usus ejus ad convulsa rupta in vino pota. Hæc omnia sumpsit Plinius ex Dioscoride lib. 4. cap. 9. præter illa, sine duritia, ex adverso appellata à Græcis, sicut fel dulce. Qua in parte non assentior Plinio, si modò illa Plinii sunt tam disparata verba: nam quum dicimus, *fel dulce*, non Antiphrasis est, sed ironia. Deinde apud Dioscoridem non *ὀλίστεον*, sed *ὀλίσειον* legitur, id est, *perdens coronas*, quia coronaria non sit. Et verò si graminis similis est, rite vocabitur *holosteon*, id est, dura, & tota ossea, & non per antiphrasin. Doctor Laguna, nostram *pilosellam*, esse arbi-